

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Exercitationes theologicae - Ettenheim-Münster 109 - index omnium in
univ. theol. 4 tomis distincta contentarum

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Exercitatio XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-111021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111021)

93
tur, non videtur à Christo Sponsò iis omnibus instructa dotibus, // nec aucta privilegiis, quæ ad parandos, sanandos, regendos, // quæ fideles necessaria sunt. // Hæc Natalis, quæ commen-
tariis non indigent.

Exercitatio XVI.

287.

De ignorantia invincibili Juris naturalis.

Ad cap. i. §. i. n. 29. et 30. Tract. i. Tom. 3. Theob. univ.

Quidam Doctores Catholici contendunt nullam dari ignorantiam
invincibilem Juris naturalis, sed omnem esse vincibilem, ac provin-
de omnem actionem, quæ est contra Jus natura, semper esse
formaliter peccaminosam, quibus tamen communius contra-
dicunt alii Doctores, quorum momenta hic primo proferimus.

289

§. I.

Proposuntur ac solvuntur Argumenta admittentium
ignorantiam invincibilem præceptorum natura-
lium.

Argumentum 1^o petitur ex S. Scripturâ et SS. Patribus. 1^o
quid em ex S. Scripturâ; nam Joan. 15 v. 22. dicit Christus: Si non
vanissem et locutus eis fuisset peccatum non haberent, nunc autem
excusationem non habent de peccato suo. et v. 24. Si opera non
fecissem in eis: hoc est inter illos: quæ nemo alius fecit, pecca-
tum non haberent. At unde illud, nisi quia ignorantia eos
excusasset?

7. Col. p. 247.

2^o Ex SS. Patribus, nam S. Chrysostomus hom. 13. in Ep. ad
Rom. ait: Nemo ignoranter peccavit. Atqui multa sunt con-
clusiones ex præceptis naturalibus deducta, quæ à multis
invincibiliter ignorantur, qualia sunt præcepta, quæ prohi-
bent aliquos contractus, qui re verâ usurarii ac Simoniaci
sunt; at tales evidentur non apparent, imò à multis
Doctoribus, ut tales, non admittuntur. Concordat S.
Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 16. ubi sic loquitur: Non tibi
Deputatur ad culpam, quod invitatus ignoras, sed quod negligis
quis quærere quod ignoras. Idem videtur docere

S. Thomas; nam hic q. 76. a. 3. inquirens an ignorantia ex-
cusat à peccato, sic articulum concludit: Si sit talis igno-
rantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quæ est invin-
cibilis, sive quæ est ejus, quod quis scire non tenetur, talis
ignorantia omnino excusat à peccato.

Resp. adversa partis Theologi, hæc testimonia tum Sacra
Scriptura, tum SS. Patrum non esse ad propositum, cõ quod
loquantur de ignorantia Juris positivi, non verò de igno-
rantia Juris naturalis; cum enim ea, quæ sunt Juris na-
turalis, omnes scire teneantur, eorum nulla invincibilis igno-
rantia esse potest. dum petitur à ratione. 1^o Nisi ad- 289.

nittatur aliqua ignorantia invincibilis Juris naturalis,
sequitur incredibile conscientia perplexitas, imò et pec-
candi huius et nunc inevitabilis et dura necessitas, quoties-
cumque aliquis probabiliter et bona fide iudicat aliquid
sibi agendum esse, neque posse omitti sine peccato, et ta-
men Jure naturali illicitum est; nam si illud eligat agen-
dum peccabit contra Jus naturale, si vero omittat, iterum pec-
cabit, quia agat contra proprium dictamen conscientiae. Ergo.

Resp. Praefatam conscientia perplexitatem esse voluntari-
am, ac proinde nunquam necessitatem nuncupari debere;
nam, inquit, ignorantia Juris naturalis non aliunde pro-
ficietur, quam ex perverso et pertinaci creaturarum amo-
re, quò peccator se ab illo lumine continenter avertit, quò
illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,
cujus ductum si sequeretur, dum affulget, nihil est in Jure
naturali tam abstrusum, quòd esset clausum vel ignotum;
sed quia mavult post concupiscentias suas ire, quam illi
oculos aperire, quid mirum, si imputetur ad culpam, quid-
quid ex illius Juris ignorantia perperam operatur.

2^o. Arguitur. Potest contingere, ut nulla precedat notitia
obligationis sciendi aliquas remotiores Juris naturalis conclusiones,
ratione cujus eam vivere possimus; si enim nulla cogitatio aut du-
bitatio praecesserit, non magis erit in nostra potestate earum co-
gnitio, quam sit fides mysteriorum supernaturalium, quorum
ignorantiam invincibilem dari posse constat. Ergo tunc dubi-
tatur harum conclusionum ignorantia invincibilis; cum non sit
nostra facultate de ulla re deliberare, an amplectenda sit vel
rejienda, de qua nulla in mentem cogitatio venerit.

8. Col. Jan 1481
Resp. Inter fidei mysteria, ac Juris naturalis praecpta non
esse disparitatem, quòd illa lumine naturali non constant,
haec vero ita hominum cordibus insculpta sint, ut non possint un-
quam obliterari, et, licet vitis praeisque membris obscurari
possint, ipsis tamen imputandum est, qui conscientiam se sui-
que officii admonentem audire noluerunt, vel, ne moneat, vo-
luntarium obicem posuerunt.

Arguitur 3^o. Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium. At-
qui nisi precedat cognitio peccati, actus malus non erit volun-
tarius. Ergo neque peccatum. Prob. min. Voluntarium est
à principio intrinsecò cum cognitione. Ergo nisi precedat cogni-
tio iniquitatis, actus non poterit dici voluntarius.

Resp. Satendum quidem esse actionem non posse vitio viti,
si sit involuntaria; sed falsum omnino esse actionem desine-
re esse voluntariam, si dent illa commentatio et reflexio actua-
lis intellectus considerantis et inquirentis bonitatem vel pa-
ritatem ejus rei, in qua animus occupatur; tunc enim actio
est satis superque voluntaria et à principio intrinsecò, quando

operans novit quid agat, nec ob aliud facit, nisi quia vult: etiam qui ex vehementi passione impetu inter ludendum jurat, in confectionibus luctuat, vix ac ne vix quidem de verum, quibus occupatur, nefandorum malitia cogitat, et tamen voluntarie agit, et peccat.

Arguitur 4^o Inia, si omnis ignorantia circa Jus naturae sit vincibilis. Ergo, cum juxta Adversarios etiam sit culpabilis, SS. Patres peccaverunt mortaliter, qui circa illud errarunt, adeoque probabiliter damnati sunt, quia istis suis ignorantibus probabiliter creduntur esse immortui. Sic S. Augustinus Ep. 8. ad S. Hieronymum docet simulationem non esse licitam: contra S. Hieronymus docet esse licitam, et pro se citat Origenem, S. Chrysostomum, Didymum, et alios, ut refert S. Thomas in Ep. ad Galat. c. 2. lect. 3.

Resp. SS. Patres propter levitatem materiae fuisse a mortali excusatos, aut saltem pro peccatis gravioris ignorantia poenitentiam egisse.

Arguitur 5^o Inia sequeretur peccare eum, qui probabilissimam sententiam eligit, cum saepe falsa sententia sit probabilior vera, ut omnes concedunt. Idcirco hoc admitti nequit. Ergo p.

Resp. Mirum non esse, si opinio relative ad judicium peccato corruptum sit saepe probabilissima, cum eidem ista frequenter etiam videatur. Et tamen conscientia a morea Legi naturali adversa, teste S. Thomae, nunquam excusat, quia error ille ex voluntarie offensa menti caligine nascitur. Laborant etiam ignorantia vincibili saepe opinio sua videtur probabilissima. Ergo nec excusat a peccato.

S. II.

290.

Proponuntur et Solvuntur Argumenta negantium ignorantiam invincibilem circa procepta naturalia.

Argumentum 1^{um} petitur ex S. Scriptura. Genes. 22. v. 3. habetur, quod ignorantia non excusasset Abimelech a peccato, si Saram Abraha uxorem duxisset in conjugem. Custodivite, ait Sacer textus, ne peccares in me, dicens videlicet Saram in uxorem. Ergo p.

P. I. p. 249.

Resp. 1^o In eodem loco probari ignorantiam invincibilem, nam v. 4. respondet Abimelech, Domine num gentem ignorantem et justam interficies? In ignorantiam invincibilem.

Resp. 2^o Dist. aut. Ignorantia non excusasset Abimelech a peccato materiali, con. Non excusasset ipsum a peccato formali, neg. aut.

Argumentum 2^{um} dicitur desumitur ex SS. Patribus. 1^o S. Augusti 291.

De ignorantia invincibili Jaris naturalis

* Didymus Alexandrinus, saeculo 4^{to} floruit. 5^{to} aetatis anno oculis orbatus, eo tamen in divinis, aequae ac profanis literis profecit, ut avi sui miraculum haberetur. multa scripsit, quarum vis pauca admodum supervenit. S. Gregorius Nazianzenus ipse fuit discipulus. Ultra 83. annos vitam protraxit. Jam prope aetatis ab Origene seductus illius opiniones amplectens est.

mus Ep. 154. sic ait: Si quis putaverit bonum esse, quod malum est, hoc putando utique peccat: ea sunt omnia peccata ignorantia, quando quisque bene fieri putat, quod male fit. 2^o. Tertullianus De spectaculis c. 20. Quamvis, inquit, nusquam, et nusquam exusatur, quod Deus damnat: nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet. 3^o. S. Bernardus lib. de praecipio et dispens. c. 14. haec eloquitur: Sive itaque malum putas bonum, quod forte agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est.

Resp. Sanctos Patres locis adductis solum significare voluisse, eos, qui ex errore crasso aut vincibili, qui oritur ex negligentia ad discendi, putant bonum esse quod malum est, aut vicissim, peccare ex consuetudine vincibiliter et licenter erronea, qua non excusat a peccato. Unde quando Tertullianus dicit, nusquam exusari, quod Deus damnat, intelligi debet, quando adest error vincibilis.

Iust. S. Augustinus lib. 3. de grat. et lib. arb. c. 2. sic ait: Aliud est nescire, aliud hinc nescire, voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Nescit intelligere, ut bene ageret. Sed et illa ignorantia, que non est eorum, qui scire volunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat. Ergo ex S. Augustino nulla datur ignorantia invincibilis, saltem circa precepta naturalia, sed omnis ignorantia est vincibilis et culpabilis.

Resp. S. Doctorem loqui hic de illis hominibus, quibus Evangelium non fuit predicatum, adeoque de peccato infidelitatis negative, atque eos, qui Legem Dei non audierunt, quamvis inculpabiliter, non tamen propterea esse excusabiles ab aeterna damnatione, quia sunt obstricti saltem peccato originali. Quare quoque modo res fiat, legitime et iuste damnantur vel reatu originis, ut loquitur S. Augustinus, vel additamento proprio voluntatis. Ex quo ergo non sequitur, non dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, alioquin certe neque ignorantia invincibilis juris positivi daretur.

Urg. S. Augustinus lib. 1. retract. c. 19. expresse dicit, peccatum etiam ignoranter factum non posse esse sine voluntate; quia, inquit, quod nesciens facit, volens tamen facit. Ergo iuxta S. Augustinum non datur ignorantia invincibilis.

Resp. Dist. ant. Peccatum ignoranter commissum non potest esse sine voluntate vel facti vel peccati, con. tam facti quam peccati, neg. ant. Voluntas facti est, qua volumus factum aliquod seu opus precise abstracte, utrum illud prohibitum sit vel non, v. g. comedere carnes, laborare seniliter, &c. voluntas vero peccati est, qua volumus factum seu opus aliquod non precise secundum se spectatum, sed etiam quatenus cognoscimus illud esse prohibitum et illicitum, v. g. comedere carnes die veneris, laborare die festo, &c.

De ignorantia invincibili fore naturalis

2. Col. p. 250.

Argumentum 3^{ium} petitur ab auctoritate S. Thomae. Nam 292. Quodlib. 9. a. 15. ait: Error, quod non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto. Item Quodlib. 8. a. 13. Idem, inquit, quod agitur contra legem: eternam vel naturalem: Semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam. Et hic 9. 19. a. 6. ad 1. haec habet: Ad hoc, ut aliquid sit malum, sufficit, si re vera sit tale, siue credatur esse tale. Ergo iuxta S. Thomam nullum probabile falsum et legi naturae difformum excusat à peccato, quod est contra Jus naturae, quamvis appareat et existimetur verum.

Resp. 3. Doctorem intelligendum esse de errore et ignorantia culpabili, prout interpretatur S. Antoninus 1. p. tr. 3. c. 10. d. 10. ubi sic ait: Haec verba S. Thomae: quibus quodlib. 8. asserit, idem, quod est contra legem, semper esse malum: non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifeste patet ex Scriptura, vel determinatione Ecclesiae, quod sint contra legem Dei, et non de illis intelligit, ubi non apparet, alias sibi contradiceret.

Argumentum 4^{um} petitur ab auctoritate antiquorum 293. Theologorum, quales sunt Alensis, S. Bonaventura, Albertus Magnus, Durandus, Hugo Victorinus, Guillelmus Parisiensis, Albertus Audoensis, et alii, qui docent nullam dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis. Unde Gerson expresse ait: Concors est sententia in his, quae legis divinae sunt, nullam cadere ignorantiam invincibilem. Et Gratianus 1. q. 5. Ignorantia, inquit, Juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.

In hujus Argumenti solutione Not. praecipua legis naturalis ad tres classes reduci posse. Prima sunt universalissima, quae non tam sunt dicenda praecipua, quam praecipua omnium principia: ut bonum faciendum, p. Alia sunt, quae ex istis per facilem dissonum deducuntur: ut sunt praecipua non furandi, non fornicandi, p. Alia denique sunt, quae ex his non nisi longò ac difficili dissonum deducuntur. Hoc notat

Resp. Memoratos Auctores non esse intelligendos de praecipuis tertiae classis, seu de remotioribus juris naturalis conclusionibus, sed solum de praecipuis prima et secunda classis.

Inst. S. Thomas hic 9. 94. a. 6. non nisi duplicis generis admittit praecipua naturalia. Ergo prior divisio non subsistit. Deinde de praecipuis secundariis ibidem ita loquitur: Praecipua secundaria non delentur à cordibus, nisi propter pravas consuetudines et habitus pravae. Ergo eorum ignorantia non est inculpabilis.

Resp. S. Doctorem ibidem vocare praecipua secundaria ea, quae sunt quasi conclusiones propinqua principis. at certum est, etiam fatentibus Adversariis, prae conclusiones principis propinquas

etiam dari remotiores Juris naturalis, quod nunquam requirit
S. Thomas. Quando autem idem S. Thomas dicit praecepta secundaria non deleri à cordibus nisi propter pravos consuetudines,
addit etiam, propter malas persuasiones, quae aliunde sine culpa
advenire possunt. Val' dicendum, quod S. Doctor loquatur
de praeceptis secundariis magis propinquis, non verò de remota-
ribus, seu quae sint tertiae classis.

293. Argumentum 5^{um} sumitur ex Cap. Rex tuarum. de Sorti-
legio. nam ibi exaggeratur crimen Presbyteri, qui sorte divi-
naverat furem, quamvis ex bono zelo et simplicitate id se
fecisse diceret. Ergo p.

3. 68. 102. 53

Resp. In foro externo presumabatur se fecisse cum suffi-
cienti cognitione malitiae; videbatur enim advertere inpec-
tionem astrologiae ab infanti homine factam esse illicitam.

294. Argumentum 6^{um} sumitur ex rationibus. Itaque
arguitur 1^o Ignorantia Juris naturalis est poena peccati ori-
ginalis, quod in Adamo nobis fuit voluntarium; imò quandoque
est poena peccati nostri personalis. Ergo non excusat, ac pro-
inde non datur ignorantia invincibilis Juris naturalis. Et
idè dicit S. Thomas in c. i. ad Rom. lect. 7. Ignorantia nata ex
culpa non excusat.

Resp. 1^o Hoc argumentum nimium probare, quia inde se-
queretur nullam Juris positivi dari ignorantiam invincibi-
lem.

Resp. 2^o Neg. cons. Quia alioquin peccata ex Stultitia com-
missa etiam imputarentur ad culpam, eò quod Stultitia
sit poena peccati originalis, ac consequenter nobis volun-
taria. Sed hoc est absurdum, et contrarium facile patet ex
propositione; m^o ab Alexandro VII. damnata, quae sic sonat:
In statu naturae lapsae ad peccatum mortale et demeritum
sufficit illa libertas, quae voluntarium ac liberum fuit in
causa sua peccato originali et voluntate Adamii peccantis.

Dices. Commune est adagium: Quod sequitur ex volunta-
rio est voluntarium. Ergo p.

Resp. Dist. ant. Si sequatur ex voluntario per propriam
voluntatem et non retractatò, conce. Scius, neg. ant. Bonò
originale peccatum non nisi per voluntatem Adamii nobis
fuit voluntarium; insuper ab eo et à Christo fuit retracta-
tum.

Just. Saltem ignorantia Juris naturalis vinci posset per lu-
men gratiae, quam quisque tenetur petere, et dabit Deus,
ut habet S. Thomas Opusc. 73. in proem.

Resp. 1^o Idem valere de ignorantia Juris positivi; cuius
tamen datur ignorantia invincibilis.

Resp. 2^o Non omnes ignorantias illas vinci posse per gra-
tiam ordinariam; licet autem vinci possint per extra-
ordinariam, non tamen idè desinit esse ignorantia in-

vincibilis, alias nec Deus positivum posset invincibiliter ignorari, quia vni posset hae ignorantia per gratias extraordinarias.

Argumentum 7^{um} Si datur ignorantia invincibilis legis naturalis, haec lex frustrata erit, quia erit inognoscibilis, adeoque observata impossibilis.

Resp. 1^o Idem valere contra ignorantiam invincibilem legis positivae.

Resp. 2^o Neg. leg. Nam saltem aliqui eam agnoscunt, vel agnoverunt, vel suo tempore agnoscunt. Unde ejusmodi lex nec per se, nec absolute est inognoscibilis, quamvis non sit proximè observabilis respectu illorum, qui ignorant, quod per accidens est, et eam reddat aliquibus tantum huc et nunc inobservabilem.

Inst. Lex naturalis est simul divina, stultum autem est cogitare, quod Deus aliquid velit fieri à nobis, et simul alit id à nobis sciri. Ergo cum sit sapiens, nec possit velle finem obtineri nisi subministratis mediis necessariis, etiam dedit nobis, ut scire possimus, si faciamus, quod in nobis est. Ergo talis ignorantia nobis non est invincibilis.

Resp. 1^o Omnia ista valere de ignorantia legis positivae, quae tamen potest esse invincibilis.

Resp. 2^o Deum non velle aliquid fieri à nobis, nisi supposita cognitione illius, et agnita obligatione faciendi; talem autem cognitionem non semper dat, nec dare tenetur, quamvis sit infinite sapiens.

Argumentum 8^{um} Divina agit contra particularem legem naturae, etiam agit contra universalem, sub qua illa particularis continetur; non potest autem dari ignorantia invincibilis talis legis universalis. Ergo nec illius particularis sub eà contenta.

4. Resp. 254.

Resp. 1^o Idem valere de lege positivâ, v.g. qui agit contra qualecunque præceptum particulare humanum, etiam agit contra illam legem universalem: parendum est præceptis legitimi Superioris; et tamen dari potest ignorantia invincibilis particularis præcepti humani, licet dari non possit illius universalis legis.

Resp. 2^o Neg. cons. Quia licet aliquis sciat legem universalem, tamen potest errare in applicatione illius ad particulare operabile.

Argumentum 9^{um} Natura ipsa refugit illa, quod sunt contra Jus naturae, hinc Tertullianus contra Marcion. lib. 5. c. 13. ait: Ipsa nos docet natura, quae legis est instar ignorantibus legem. Et idè etiam actus, qui fiunt contra legem naturae, tales sunt, ut coram aliis non audeamus facere illos. Ergo convincimur nos satis eorum agnosceri inhonestatem.

Resp. Id tantum valere de illis, quae sunt clarè contra
prima principia, Iuris natura, non autem de aliis, de quibus
pavidè dubitatur, sicut licita nec ne, qualia sunt
innumera; et talia non refugit natura agere, quam-
vis fortè sint contra Ius natura. Et licet quis nolet
aliquid agere coram aliis, non ideo statim agnoscitur
moralis illius inhonestas; nam honesta et naturalis
verecundia vetat quaedam fieri publice, quae tamen
non sunt moraliter inhonesta, uti per se patet.

S. III.

298.

Verior Sententia eligitur.

Prior sententia est communissima nostri aevi Theologo-
rum, adeoque posteriori merito preferenda videtur, praesertim cum Responsiones Adversariorum ad Argumenta prioris sententiae facili negotio dissolvi possint.

Itaque contra Responsionem ad Argumentum, ^{num} est, quia
SS: Patres loquuntur de iis, quae sibi nequeunt, aut quae quis
sive non tenetur. Atqui multa sunt conclusiones deductae
ex primis principis, quae non omnes sive tenentur; quod sic
convincitur: Multa sunt conclusiones, quae non nisi magno
labore ac difficili discursum ex primis principis, aut potius ex
praecipuis Iuris naturalis eruntur. Atqui has conclusiones
sive non tenentur iustici et indotti, aut saltem eas sive
nequeunt; nam homines isti huiusmodi discursum sunt
incapaces, ac proinde profatas conclusiones seu veritates
neutiquam sive possunt, minus tenentur, cum ad impossi-
bile nulla sit obligatio, impossibilis autem sit huius-
modi hominibus harum veritatum notitia, cum media
ad eam necessaria in eorum potestate non sint.

Dices possunt huiusmodi homines instructionem petere à doctioribus, praesertim à suis Barachis. Ergo.

Resp. Ad eos non semper patere aditum. Deinde dato,
quod via nunquam occlusa sit, sapè sapientis tamen dubia
circa legem naturalem resolvere nequeunt, cum de his inter
Magistros et Doctores non infrequenter his sit et contro-
versia, aliis affirmantibus, aliis vero negantibus.

s. Gf. p. 255

Frateria haec nostra responsio magis corroborari videtur ex
verbis S. Augustini dum ait Ep. 105. In illis, qui non audierunt,
neque potuerunt, poena peccati est non videre. Non sicut pecca-
tum, sed poena peccati. Atqui similiter in Iure natura aliqui
iustici sunt, qui non audierunt, neque potuerunt aliquam
conculere de remotioribus Iuris natura consecutariis. Ergo in
illius ignorantia non est peccatum, sed solum poena peccati.

299.

Contra Responsionem ad Argumentum secundum est; quia
licet id, quod in Responsione dicitur, verum sit, quantum

licitet ad eos attingit, qui peccant ex ignorantia Juris naturalis, prout continent precepta secundaria; falsum tamen est quod ad eos, qui ignorant conclusiones Juris naturalis remotiores; nam horum ignorantia non tollitur per piam vitam, sed potius per studium; alioquin iustus alius justus sine posset omnia Juris naturalis dubia resolvere, quod tamen viri sanctissimi simul et doctissimi non potuerunt. Sic S. Hieronymus, ut jam alibi dictum, existimabat simulationem esse licitam; Sic Cyprianus vir doctrina et sanctitate conspicuus, item Marculus, et alii putaverunt mendacium officionum aliquando esse licitum, s.g. si per illud possem patriam ab interitu aut hominem ab aeterna damnatione eripere, p.

Contra responsionem ad Argumentum 3^{ti}am seu potius ad 300. Just. Argumenti 2^{di} a ratione petiti est, quia sicut mysteria sibi sequuntur, nisi in his indoti a doctis instruuntur, ita pariter multa conclusiones Juris naturalis remotiores sibi sequuntur, nisi in his indoti a doctis instruuntur. Ergo sicut ob defectum predicationis mysteria fidei invincibiliter ignorari possunt, ita similiter veritates quaedam Juris naturalis remotiores ob defectum instructionis invincibiliter et inculpabiliter ignorari poterunt, et quidem a fortiori, cum hujusmodi veritates non sint sicut necessaria necessitate media, quemadmodum mysteria fidei.

Proterea vult Deus, quantum est in se, omnes ad agnitionem fidei venire; unde qui non illuminantur, sua culpa lumine fidei privantur, quia videlicet lumini ponunt obicem. Et tamen juxta S. Augustinum et S. Thomam, ut fatentur adversarii, in hujusmodi hominibus, qui non audierunt, non est peccatum, sed poena peccati, non credere. Ergo pariter licet etiam concederetur, quod multi sua culpa, ut potest creaturarum amore, obsecati Juris naturalis remotiores ignorent conclusiones, nihilominus, si tamen de his nihil prius unquam audierunt aut audire potuerunt, peccatum non erit eos non audire, sed poena peccati.

Contra responsionem ad Just. 3^{ti}am est, quia facile conceditur, quod homo ex vehementi passionis impetu jurans ex voluntario imperfecto juret; negatur autem, quod tunc libere seu ex voluntario perfecto juret: dicit enim hic libertas, quia absit indifferentia, ac proinde omnis culpa tunc absque necessitate est. Solum ergo est ad malitiam peccati non requiri actualem reflexionem intellectus; si enim haec absit nec esse possit, actus, licet alioquin peccaminosa, formaliter talis, jam esse non poterit.

Contra responsionem ad Just. 4^{ta}m est, quia si mate- 302.

nia levitas excuset à peccato. Ergo etiam negligentia levitas excusabit à peccato. Saltem mortali. Ergo ubi nulla est negligentia, nullum quoque erit peccatum, ac consequenter cui nunquam incidit dubitare, aut, si incidit, dummodo morale diligentiam adhibuerit in inquirenda veritate, hæc non inventa, si bona fide peremerit, perget ex ignorantia invincibili.

6. Col. p. 256. Scititur in multis questionibus Juris naturalis, qua proximam respiciunt, Schola Thomistica docet hanc partem Scotistica contradictoriam, atque necesse est alteram partem errare. Idem est de Doctoribus, Advocatis, Consiliariis, Sapè in materiis Juris naturalis diversa docentibus et suadentibus, si omnis error hæc est vincibilis. Ergo errantes graviter peccant, et plerique damnantur; quia his opinionibus immoruntur. Sic ergo omnes tenebuntur vitare nomen Advocati, Consiliariorum, Judicis, p. ne exponant se periculo proximo evadendi iura Jus naturalis.

303. Porò tota ratio responsionis ad Argumentum seu Just. ult. timam vel ex hoc conruit, quod licitum sit sequi sententiam probabilissimam; nam contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. nempe: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Imò quod adhuc magis est, Roma an. 1685. die 8. Augusti ~~confixa~~ hæc propositio, quam quidam Lovanienses Theologi defendebant confixa est: Nullam admittimus ignorantiam invincibilem Jus naturalis in ullo homine, dum hæc et nunc contra Jus naturalis agit.

Ceterum male censurâ afficeretur posterior sententia ex eo, quod scilicet videatur quodammodo favere opinioni Lutheri et Janseii, illius quidem dum ait: Scholastici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excusabiles; tanta coecitas est in Papa Scholij. Janseii vero, qui turtur ignorantiam invincibilem Jus naturalis nunquam excusare à peccato, bene tamen ignorantiam Jus positivum. Nam hujus sententia Patroni ajunt se nullatenus asserere nullam ignorantiam invincibilem excusare à peccato, sed solummodo nullam dari ignorantiam invincibilem Jus naturalis.

304.

Exercitatio XVII.

De actibus humanis indifferentibus
ad cap. 3. §. unic. n. 156. et seq. Tract. 1. Tom. 3. Theol.
Univers.

Dari actus humanos, qui secundum speciem sint indifferentes, communissima est sententia. At major controversia est Thomistas inter et Scotistas de actibus humanis in individuo, an scilicet indifferentes esse possint. Affirmant Scotisti, negant vero Thomista.